Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift

facienti itaque sancto. impius arrianus dixit. Ut uideo morieris. Et sanctus ait. Et si moriar iterum uiuam. Arrianus officio suo dixit. labores tantum modo expendimus in isto. nam quantum experimento probauimus. iste pro fide sua mori paratus est. nequaquam adquiescit sacrificare et uiuere. At tamen adhuc et nos agamus quod possumus. Et statim iussit ei ligari in pedibus lapidem, et precipitari in flumen uiuentem. Milites autem tollentes eum adduxerunt ad flumen, et ligantes lapidem grandem in pedibus eius, tardabantur propter uim ciuium. qui ad hoc ipsum conuenerant uidere beatum martyrem coronari. Qui et exhibuerunt cibos, et rogabant ut perciperet. Sed ille renuit dicens. Cessate rogare. ego enim nec manducabo quicquam de hoc mundo. nec bibam ab hac hora. Sed paratus sum ire et recipere que nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Sed et uos precor omnes qui auditis. elaborate ut comprehendatis bona que preparata sunt sanctis. Hec cum allocutus fuisset. imposuerunt eum in naui pusilla. Conuersus autem dixit his qui aderant christianis. Filioli mei. non negligatis sepulturam meam. equidem hodie et crastino dimittite. Tercia die si dominus uoluerit. uenite ad aquilonem ciuitatis, et inuenietis meum corpus cum lapide quod mihi alligatum est. sepelite me cum ipso in sepulchro. Et factum est ita. Nam proiectus in flumen, delatus est deo uolente ad ripam. Et die tercia uenientes de ciuitate fratres. inuenerunt corpus eius cum lapide quo pressus erat ad terram, et sepelierunt eum cum ipso in pace. die mensis ianuarii. uicesima tercia. Nam coronatus est die fuit mensis supradicti. XX. et I. in christo ihesu domino nostro qui regnat in secula seculorum amen.

C. ix k. feb.

Vita et transitus sancti tymothei apostoli.

MULTI multas historias et uitas, mores et iam et conuersationes ac fides deo amabilium et sanctorum uirorum conscripserunt. quibus eorum noticiam posteris commendauerunt. Qua propter non extra iustum et nos tale quid existimantes memorie tradere uitam et conuersacionem ac transitum sancti apostoli et primi patriarche ephesiorum magne metropolis tymothei festinauimus. Nam beatissimus ille. sicut et iam a constitutis luca sancto euangelista catholicis actionibus cognouimus erat patris hellius, matris uero iudee fidelis ortus ciuitate lystris. que est una lyconie prefecture. doctus autem a magno dei cultore apostolo paulo. et multa ab eo testificatus, conperegrinus nichilominus ei factus. et compatiens in euangelio, et ualde commodum illi se ipsum prebens. deuenit cum eo ad splendidissimam ephesiorum metropolim. a quo et episcopatum primus apostolice sedis ipsius splendide metropolis suscepit. regnante tunc in romanorum ciuitate nerone. proconsulante autem asiam maximam. Ubi siquidem in doctrinis et miraculorum ostensionibus sanitates et conuersationes super ascendentes humanas cogitationes peregit. Que unusquisque differenter in ipsum dictis sufficienter in sacrorum nostrorum apostolorum actibus potest discere. Nos autem ostendere dignum ducimus. quia ipse sanctissimus apostolus et patriarcha tymotheus. non tantum beatissimi pauli apostoli. sed et gloriosi theologi iohannis qui super pectus domini nostri ihesu christi recubuit. uisor et auditor factus est. Nerone enim uerticales apostolorum petrum et paulum martyrio male tractante. gloriosis et iam eorum discipulis differenter finitis. inuenit magnum theologum ad eam splendide metropoli scaturientem de naufragio. Sic uolentes discere ex his que ab hireneo lugdunensi episcopo de eodem excellentissimo iohanne conscripta sunt, ualent nosse. Qui et quando secuti fuerunt. discipulos domini nostri ihesu christi apostolos se